

---

VIRGILII  
G E O R G I C O N

---

LIBER I.

---

ARGUMENTUM.

Continet hic liber propositionem totius operis, ejusque divisionem quadruplicem. Tum sequitur Deorum invocatio, quotquot rusticae praesident rei, quos inter Octaviano Caesari locus tribuitur: novo sane illis temporibus adulationis exemplo; quo deinde Lucanus in Pharsalia, & Statius in Thebaide, ad laudem Neronis & Domitiani immodestius abusi sunt. Atque haec exordio comprehenduntur. Liber vero ipse sex habet partes. I. Multiplicem agri colendi rationem, juxta variam ejus naturam. II. Agriculturae originem. III. Agricoliarum instrumenta. IV. Rusticorum operum tempora. V. Tempestatum prognostica. VI. Digressionem ad varia prodigia, quae caedem Julii Caesaris, aut praecesserunt, aut subsequuta sunt. Denique, Epilogi loco, Deos pro incolumitate Octaviani, & pro salute populi Romani precatur. Tamen ex iis, aliorumque librorum praeceptis, non pauca obsolevere, contrario usu posteriorum temporum, nostrorum in primis, quae multa, ut artibus ceteris, ita huic quoque addidere.